



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Fides conjugalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tur, eum vidisse Cœlites ædibus quibusdam insidere; in quas ingressus, cum duas virgines operi cum matre intentas reperisset, liberali manu paupertatem sublevavit. Verum cum illæ ditiores factæ luxui deinceps se dedissent, pulsisque è tecto bonis geniis, mali successissent, ut meliores iterum hospites in ædes immigrarent, emigrare otium iussit. Fassi Mariani. 2. Maii. Penelope si minus laboriosa, minus casta fuisset. Telam certè texuit, quot filis, tot laudibus æternitati commendatam; tantò absolutior omnibus Gratiis matrona, quantò minus absolvit, quod solvit, & sæpius retexuit, quod eleganter pertexuit.

IV. (d) Maritalis fidei illustre documentum producit Fulgus lib. 4. c. 3. Franciscus, inquit Sforcia Mediolanensis, Florentini populi copiarum dux, Casanovam oppidum vi ceperat. Quidam milites insigni forma puellam captivam ducebant, clamantem, ut ad primarium duce[m] deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco; quamobrem ad se venire cupisset, respondit, ut eius voluntati obsequeretur, modò incolumis à militum injuria servaretur. Franciscus amanti, uti videbatur, paruit: cumque noctu eam complecti vellet, puella lacrimarum plena, per Virginem DEI matrem, cuius imaginem lecto de more affixam Franciscus, singulari veneratione colebat; item per famam, quæ de ipsius bonitate apud omnes erat, rogavit, ne se castitatis honore privaret, sed marito intactam potiùs restitueret, qui, cum aliis captivis in vinculis custodiebatur. Dux pudicitia[e] eius inspectò studio, statim lecto prostravit: manèque accersito ad se viro, eam publicè restituit, adjurans, nihil cum ea sibi rei fuisse. Idem narrat de Engeltrude, nobili Ravennati puella, cuius pater cum Ottoni Imp. eam osculandam offerret, illa de genibus in pedes se erigens (nam in templo tum erant) & stans rubore perfusa dixit: Ne mi pater promittas cuiquam, quod non est in potestate tua. Equidem priùs quàm ab alio viro, nisi futuro marito, me contrectari permittam, hoc cultro (& simul eum eduxit) pectus meum perfodiam. Quod tam generosum dictum sic Imperatori probatum est, ut illi virum insignem Guidonem, unum è Palatinis cum ampla dote dederit. Quin gentiles etiam feminae in hac virtute excelluerunt. Plutarchus de Lacæna refert, eam de stupro appellatam, respondisse: Puella cum essem, patri didici dicto audiens esse; idque feci; postquam nupsi viro.

(d) Fides conjugalis.

SYM-